BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM

I. FÓGEL ET B. IVÁNYI MODERANTIBUS
REDIGIT L. JUHÁSZ, SZEGED (HUNGARIA)

SAECULUM XV.

AMERIGUS CORSINUS

COMPENDIUM
IN VITAM COSMI MEDICIS AD LAURENTIUM MEDICEM

EDIDIT

LADISLAUS JUHÁSZ

MCMXXXIV. — LIPSIAE — B. G. TEUBNER

BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM

I. FÓGEL ET B. IVÁNYI MODERANTIBUS
REDIGIT L. JUHÁSZ, SZEGED (HUNGARIA)

SAECULUM XV.

AMERIGUS CORSINUS

COMPENDIUM
IN VITAM COSMI MEDICIS AD LAURENTIUM MEDICEM

EDIDIT

LADISLAUS JUHÁSZ

MCMXXXIV — LIPSIAE — B. G. TEUBNER

Ig. kot

114 952

EXCUDEBAT TYPOGRAPHIA ÁRPÁD NOMINATA, SZEGED (HUNGARIA)

INTRODUCTIO.

De vita et operibus Amerigi Corsini.[1]

Amerigus Corsinus (Amerigo Corsini) patre Bartholomaeo die 12. mensis Augusti a. 1452. natus est. Sodalis Academiae Platonicae erat. Florentiae varios magistratus gessit: a. 1465. et 1500. prior, a. 1499. commissarius electus est, ut controversias Pistoriensium sedaret. A. 1501. unus e decem libertati conservandae (uno dei dieci di Libertà) creatur, quo anno mortuus est.

Amerigus Corsinus Marsilio Ficino amicissimus erat;[2] Bartholomaeus Fontius a. 1496. collectas epistolas ei dedicavit.[3]

Opera: Compendium in vitam Cosmi Medicis ad Laurentium Medicem. — De nativitate Nabuchodonosoris. — Elegiae.[4]

De Compendii codice.

Quod carmen epicum solus codex servavit.

Florentia. Bibliotheca Medicea Laurentiana, cod. 145 della Leopoldina-Strozziana — Saec XV. — Membran. — Codex 37 folia continet. Dedicatio: 1*r*; Compendium 2*r* — 37 *v*.

ANNOTATIONES CRITICAE.

Tit. — Amerigus—Medicem] Compendium Amerigi Corsini in vitam Cosmi patriae patris ad Laurentium Medicem virum magnanimum.

Ded. Dedicatio] *om.*

Liber I. — Liber I.] *om.* — 3. Phaebea — secula — 7. ceptis — 12. nanque — 16. fulxerunt, fulxerunt — 25. Fulxit — 32. finitime — 39. Olimpi — 41. immense — 44. Queque ferum — 47. mee — 52. Cilleni — 58. prestent — 69. Longevumque — 77. care — 79. sepe — 86. adequat — 88. substinet — 91. Nanque *corr. ex* Namque — 118. aequestrem — 132. fedebat

---

[1] Cf. *Passerini,* Luigi, Genealogia e storia della famiglia Corsini. Firenze, 1858., pag. 128—29. — *Lazzari,* Alfonso, Ugolino e Michele Verino. Torino, 1897., pag. 46.

[2] Epistolas *Ficini* ad eum scriptas v. Opera (Basileae, 1561.), pag. 672—73.; 860.; 873.

[3] *Fontius,* Bartholomaeus, Epistolarum libri III., ed. L. Juhász. Saec. XV—XVI. 1931.

[4] Elegiae ad nostram aetatem non pervenerunt, in quibus teste Ugolino *Verino* (Flametta, lib. II.) Lisam cantavit. — De carminibus eius amatoriis cf. elegiam Naldi de Naldis (*Naldis* Florentinus, Naldus de, Elegiarum libri III. ad Laurentium Medicen, ed. L. Juhász. Bibliotheca Scriptorum Medii Recentisque Aevorum, Saec. XV—XVI. Lipsia, 1934. — Lib. I. eleg. 8.).

— 145. sepe — 150. intempeste — pugne — 152. cominus — 160. penas — 167. menibus — 177. arrida — 178. estusque — 189. Heridanus — 196. Ocia — faedera iungins — 197. ocia — 200. equis — 205. herebo — 206. Sisipheo — 207. ceptique — 209. cede — 210. nanque — sevi — 214. resummere — 218. summunt — 223. Letantur — 226. noxeque — 227. penas — 228. estu — 233. herens — 249. boarde — 251. Maenibus — 253. Prepositi — prestantes — 259. hymbribus — 265. maenia — 266. sepe — 284. Emula — 285. tropheis — 286. *heptameter* — 305. ledant — 309. leta — 315. Prestitit — 319. Medice — 324. parcta — 327. Ocia — 335. que — 349. cause — 352. comisse — 354. ammisse — 357. Praelia — 360. innupteque puelle — 378. prelia — 379. Nanque — 383. faedere — 405. Erario — 410. ceptis — 413. quecunque — 421. Phebi — 433. ceptis — 439. cecaque — 440. faederis — 456. egregiae — 458. faedere — 462. federa — 464. Sforze — 474. Foenoris — 476. celum — 478. ceca — 484. sue

Liber II. — Liber II.] Incipit liber secudus *(sic)* — 14. referctum — 18. orbem *corr. ex* urbem — 20. prestanti — 34. persepe — 35. vetuste — 36. false — 37. celi — 38. Ethereasque — 51. celi — 59. leta — 60. letum — 61. faelici — 89. tetro — 92. seva — 94. ambe — 96. prenoscens — 101. contute — 105. sevas — 112. nanque — 116. tetrum — 118. Ethruscam — teterrima — 121. thedas — 127. cure — 131. obprobriis — 136. praecibus — 141. ceco — 146. Obprobria — 154. Premia — 155. iccirco — 156. Olimpi — 180. penis — 195. secula — 202. equa — 207. letabitur — 214. sydera — 217. letis — 224. Paena — 238. proprie — 239. caeptis — 240. Conctio *corr. e* Concto — 241. iniiecit — 245. penas — 246. seva — 248. Nanque — 250. vidue — 253. verse — 259. mestam — 265. Ocia — 267. Paena — 274. Querere — 285. perpetuumque — 288. Paena — letis — 290. letusque — 295. Ammisse — dure — 308. edes — 311. mestos — 322. mestrum — 328. praecibus — 331. Ethernamque — 332. letus — 334. olimpo — 336. Leta — 337. Letari — 354. prestans — 355. letus — 361. Hae — 371. letare — 374. edes — 391. presens — 393. sepe — 396. letusque — 403. Nanque — porte — 406. Quanprimum — ceca — 423. Nanque — 424. tue — 427. ceptis — 444. Quenque — 448. leti — 450. isthec — 464. presentia — 472. Nanque — 474. edes — 475. leti — 476. prestantis — 482. Nanque — 483. pulchre — 491. letus — 514. Querere — 515. Forenti — 519. Quenque — 523. edes — 524. aegregie — sacre — 527. evum — 528. secula

Liber III. — Liber III.] Incipit liber tertius — 4. Mesta — 9. plantu — 10. Femmineo — 12. ammissum — 13. meror — 20. gelide — 22. Nanque — 42. fouerant — 43. ammotis — 45. ethrusca — 48. ethrusca — 53. Premia — 79. Dannaque — 85. Etruscam *corr. in* Ethruscam — 98. preparet — 100. celestibus — 105. prestare 112. ethruscas — 119. Conctio — 125. edes — 136. prestare 144. — Sepe — 150. letus — 162. Letus — 164. Letitia — 166. sepe — 169. letatur — 170. vidue — 172. Equora — obscure — 181. penis — 214. plombini *corr. ex* plumbini — maenia — 219. prestare — 224. prelia — 239. federe — 241. maenia — 245. federe. — 251. Federa — 252. Exiimat — 257. Maenibus — 262. resummat — 269. Extuat — 280. seva — 282. federe — 286. fedus — 294. Preterea — 296. dictionis — 316. faedera — 323. cecaque — 328. heret — 340. equora — 342. letis — 347. *inscr. s. m.* — 349. federa — 361. faedera — 371. Predatis — 374. ethruria — 379. Faedere — 381. et tum] tum — 387. placide — 396. Ethruscas — 398. celum — 399. faedere — 404. ocia — 413. presagia prestant — 425. inficior — 427. nanque — 430. negocia — 431. previsa — 433. pronostica — 436. prestans — 444. misaere — 450. aethernam — 452. enigmata — 457. sevos — 463. ha — 464. urbem *corr. ex* orbem — 473. summitque — *post* 476. τελωσ

AMERIGUS CORSINUS

COMPENDIUM IN VITAM COSMI MEDICIS AD LAURENTIUM MEDICEM.

DEDICATIO.

Mittit Amerigus tibi, Laurens inclite, versus,
Qui pedibus trepidis atria magna petunt.
Nec mirum, quoniam non doctus carmina vates
Dictitat, immo rudis institor illa tulit.
Sed tibi, quem referunt, commendet carmina Cosmus,
Cosmus, Tyrrheni gloria magnà soli.

LIBER I.

Candida lux mundi, vatum sanctissime custos,
Qui genus humanum servas, qui luminis auctor
Lampade Phoebea perlustras saecula cuncta,
Te precor, indignus quamvis tua numina adire
Nunc ausim et vatum pertingere sacra profanus
Aggrediar, supplexque tuum nunc numen adoro,
Pulcher Apollo, meis praesens nunc annue coeptis
Et iubeas Cosmi describere facta parentis
Magnanimique viri laudes attollere versu
Castaliosque mihi sanctos infunde liquores.
Da vires semperque velis fulcire labantem,
Maxima namque humeris geritur nunc sarcina nostris.
Sic igitur sacro aggrediar iam numine fretus
Et tua describam nunc primum tempora, Cosme,
Cosme, dabis nostris iam primum exordia chartis.
Aurea fulserunt, fulserunt aurea certe
Saecula, cum magnum vidit Florentia Cosmum
Gestantem patriae curas et cuncta gerentem.
Namque fides, spes certa simul sanctusque deorum
Cultus et humanam servans concordia gentem
Providaque in dubiis surgens sapientia rebus
Et quae ferventes sensus contemperat omnes
Quaequa resistit agens, nostram viguere per urbem.
Exemplis accensa suis tunc maxima virtus
Fulsit et ardentes ad sidera sustulit ortus.
Hoc duce surgentes in te penitusque ruentes
Bellorum fluctus horres, Florentia, nullos.
Quin reges cessere tuis, cessere tyranni
Viribus atque animos fracti posuere minaces

30 Bebriacique duces tumidi Venetumque senatus
In leges pacis veniunt et foedera firmant.
Hoc duce finitimae gentes populique propinqui
Attoniti iura accipiunt et iussa facessunt.
Nec magis horrescunt generosi bella leonis
35 Horrida, quam fidei mirantur numina sanctae
Florentis populi, summa et pietate moventur.
Sed libet hinc magnum primaque ab origine Cosmum
Dicere et in Medicas producere carmina laudes.
Iuppiter omnipotens clari de vertice Olympi
40 Prospiciens terras nostram deflexit ad urbem
Lumina et immensae tandem bonitatis amorem
Fundit et igniferis verbo sic imperat astris:
„Astra, meis aures, iubeo, ne claudite dictis,
Quaeque ferum terris aspectum, quaeque malignum
45 Traditis Etruscis, adversum quaerite caelum
Oppositique poli terris infundite lumen,
Vosque, meae laudes et dulcia pignora, nati,
Pulchra Venus, pulchro quae fulges sidere semper,
I, placidas accede domos et tecta benigna
50 Ingredere et, qua parte magis meliusve refulges,
Siste gradum et placidum terris infunde decorem.
Cylleni facunde, deum qui iussa per auras
Fersque refers, fido et constanti pectore servas,
Nunc tua, nunc opus est, concedat gratia nostro,
55 Qui mox sublimi demissus ab aethere alumnus
Humanas sedes et corporis antra subibit.
Prospera quin assint ardentis sidera Martis,
Caetera nunc praestent, quem possunt, astra favorem.
Tuque, tuis radiis totum qui circuis orbem,
60 Sol dilecte mihi, nunc ulnis excipe sacris
Nascentem Medica puerum de stirpe, Iohannes
Cui pater egregius meritis et munere gratus
Caelicolis, magnum magno quem nomine Cosmum
Appellent summoque habeant in honore minores.
65 Huic dabis Herculeos grandes superare labores
Illustremque virum factis acquirere famam
Egregiis tandemque sua requiescere in urbe
Divitiis clarum magnis opibusque potentem
Longaevumque senem placidam perducere vitam."
70 Haec ait et dictis subito tunc omnia parent.
Nascentis pueri primos sol excipit ortus.
Appellant magnum fatali nomine Cosmum.
Ast illo insignes summa pietate parentes
Suscepto gaudent, iussis et numine divum
75 Templa adeunt moniti atque ingentia munera donant.
Mox, simul ac vitam dulces incepit et auras
Carpere et in gremio carae perludere matris,

Multa monent vigilem, sopitum plurima tangunt
Signa patrem, saepe et suspensum somnia tentant.
80 Cogitat hinc etiam tacitus secumque volutat
Miraturque graves puerili in pectore curas
Consiliumque senis teneris miratur in annis.
Quin etiam totam vulgatur fama per urbem
Hunc fore, qui, veluti mensuram nominis ampli
85 Continet, ingenti sic et virtute peracta
Compleat et gestis magnum sic nomen adaequat.
Hinc omnis pendet cari iam cura parentis,
Imbuat ut natum. Quamprimum sustinet aetas
Cecropiis studiis et doctae munere linguae.
90 Non natus, non ipsa patrem tum cura fefellit,
Namque Fluentinos subito sic inter alumnos
Doctior evadit longe et conspectior omni
Iam virtute micat, reliquos ut continet omnes
Pergere et aequales incenderit inclita virtus.
95 Ad quem tum genitor placido sic pectore fatur:
„Nate mihi solus, multis spes maxima signis,
En aetas mi grandis adest, en pectora curis
Abiectis placidam poscunt iam lassa quietem.
Grandia nostra libens adeas nunc munera, oportet,
100 Sive domi seu magna foris tractanda manebunt,
Nec tenerum teneris annis te terreat aetas.
Nam video, quales puerili in pectore curas
Gesseris et quantum de te sperare valemus,
Nec dixisse pudet coram. Laudata resurgit
105 Virtus et vires laudando suscitat omnes.
Perge, precor; factis dictisque et mente iuvabo."
Filius haec contra:
„Tuus, o pater optime, summus
Cogit amor nati de me sperare, quod ipse
Non valeam aut ausim, teneris et fidere in annis.
110 Si tamen aspirent nostris pia numina coeptis,
Non aetas, non ipse labor, non grandia terrent
Munera: quis potero, te curis ipse levabo."
Ex illo iam cuncta domus cunctique labores
Suscepti et summa semper cum laude peracti.
115 Nobilis ac veluti iuvenis, cui pectora vires
Pulsant et multo calidum cor sanguine fervet,
Arte prius certa doctus monitisque magistri
Ardens in campum ad pugnam descendit equestrem,
Unde refert victor laudes et laurea dona:
120 Munera non aliter privata et publica Cosmus
Aggreditur magnum curarum missus in aequor,
Rettulit unde pium nomen famamque perennem.
Dicere nunc, quantum Medicum res creverit illo
Tempore vel quanto res demum publica sumptu

Innixa imperium iam iam produxerit amplum
Sub iuga finitimis populis atque urbibus actis,
Difficile est, sed summa sequar fastigia rerum.
Iam nigra perpetuo vexabant Tartara fletu
Invisas Thuscis umbras manesque superbos
Virtutis comitis, iam custos Cerberus Orci
Dentibus infestis frendens et morsibus atris
Pallida Bebriaci foedabat membra tyranni.
Et merito, quoniam nullis, dum vita manebat,
Legibus adstrictus regni, quocunque cupido
Verterat, imperium tentat producere rupto
Foedere et indicto furit hic persaepe duello.
Ah, quotiens nostris infestus finibus arma
Intulit et placidam pervertit Marte quietem
Fraudibus aggressus patriae submittere nostrae
Libera iura suis titulis regnoque potiri.
Insurgunt contra cives, nec terruit ullus
Bellorum strepitus, manet alto corde repostus
Carus amor patriae, magnis et viribus obstat.
Nec solum nostris hostem discedere terris
Cladibus iniunctis et fractis saepe maniplis
Cogunt, sed Thuscas horrescit Gallia turmas,
Cogitur et propriam iam desperare salutem
Agminibus cedens Thuscis et lilia cernens
Rubra pererratis iam totis finibus acta.
Quod si intempestae expertus discrimina pugnae
Non foret, et propriis non esset viribus ausus
Allexandrinas devincere comminus arces
Armenicus princeps, nostris dum sumptibus Alpes
Transiit Auguti monitus se iungere castris,
Qui tum Brixenses populatus milite campos
Fluminis ad ripam castris descenderat Abdae.
Sed furor intrepidus pugnandi Gallicus ardet
Certaque vincendi stimulat spes ipsa furentem.
Non tempus pugnae, non multa pericula pendet,
Sed dedit, heu, meritas ducis imprudentia poenas.
Nam fracto caesoque simul tum milite captus
Armenicus princeps accepto vulnere parvo
Allexandrinam expirat perductus in urbem.
Consiliis, inquam, Auguti si credere princeps
Armenicus sciret velletque audire monentem,
Tum demum potuit tanto succumbere bello
Bebriacus solis confisus moenibus urbis,
Nec Cisalpini vererentur signa coloni
Serpentis viridis puerum nunc ore prementis.
Forsitan et Thusci videas nunc rubra leonis
Per Cisalpinos venerari lilia Gallos.
Sed modo, qui victus victricia cernere signa

Et timet et parum se tutum credit in urbe,
Illo quam primum tanto certamine victor
175 Insurgit, furit ac instat minabundus et ardet.
Non aliter, quam flamma diu suppressa resumptis
Viribus assurgit seseque per arida miscet
Nutrimenta furens aestusque ad sidera tollit;
Cuncta vorat fremitu magno longeque vagatur.
180 Hinc dux Bebriacus constructo milite totis
Viribus aggreditur Thuscas deperdere turmas,
Sed ducis Auguti tutas prudentia reddit
Incolumisque viam secat hostes inter et arma.
Nec quamvis magna perculsus clade senatus
185 Defuit Etruscus, non ullis territus armis
Succubuit multoque magis tum nititur audens.
Neve Padi ripas dubitat coniungere ponte
Immensis trabibus tum magnis sumptibus acto,
Eridanus qua parte tuis, Placentia, campis
190 Defluit et rapidis nonnunquam volvitur undis.
Hinc per te primum pacis tum mentio facta,
Bebriace; at non pacis amor, non ipsa quietis
Dulcedo invitant, sed tanto Galiia bello
Fessa monet tantisque malis exterrita cedit
195 Mens tua fallaci sperans se vincere fraude,
Otia dum simulas nobiscum et foedera iungis.
At non plus uno durant haec otia lustro;
Rumpendae pacis causas bellique movendi
Commentus plúres fines invadis et agros.
200 Sed pater omnipotens, oculis qui conspicit aequis
Cuncta pari ac recta librans mortalia lance,
Non impune sinit tantas committere fraudes.
Nam iubet actutum fatalia stamina Parcas
Frangere et exosam Galeacti claudere vitam,
205 Ablegat atque umbras Erebo noctique profundae
Sisypheo mandans torqueri pondere manes.
Ergo tot incassum sumpti coeptique labores
Tam subito pereunt, quin magnis cladibus urgent
Natos et turpi funestant caede penates.
210 Illico namque omnes, quos saevi dira tyranni
Ambitio extorres patria regnoque fugavit,
Conspirant magno iungentes agmine turmas.
Unusquisque suis tentat pro viribus audens,
Sperat et amissos raptosque resumere fasces
215 Et regni titulos ardens affectat avitos,
Armat et intrepidos multis accensa querelis
Tum vindicta viros acuitque in mente furorem
Teque ducem tantis sumunt, Florentia, rebus
Auspiciisque tuis hostiles milite campos
220 Irrumpunt agrosque simul populantur et urbes.

Vi partim partimque metu partimque benigna
Fronte suos noscunt dominos illisque receptis
Laetantur vulgo et sublato murmure plaudent.
Sic igitur tanti et tam magni nominis heres
225 Vix Mediolani princeps tunc imperat urbi
Bacchaturque furens ira noxaeque paternae
Dat poenas proprio diffundens sanguine vitam.
Gallia dum tanto bellorum fluctuat aestu
Transque Padum citraque simul, dum cladibus amnis
230 Luctatur miseris, veteris Florentia belli
Non oblita, suis quondam quod finibus infert
Pisa Fluentinis semper contraria rebus
Quodque mali nuper Galeacti partibus haerens
Ingerit atque urbem quanto discrimine versat,
235 Haud ignara videt, tantis edocta periclis
Tempus adesse putat Pisas tum subdere posse.
Posthabitis igitur reliquis Florentia curis
Pisano solum totis tum viribus ardens
Incumbit bello, magnis nec sumptibus ullis
240 Parcitur atque una concurrunt mente vicissim
Et populus summique patres totusque senatus.
Quisquis ab incepto nunquam desistere bello
Hortatur, donec Tyrrheni signa leonis
Pisanis cernant sublimia turribus altis
245 Iactari vento atque aura crepitante moveri.
Conflaturque brevi pulchris exercitus armis
Insignis multisque virorum milibus ingens.
Omnia quaeque vident superandis urbibus apta,
Instrumenta parant, ingenti mole boardae
250 Curribus aptantur magno terrore ruinam
Moenibus atque urbi summa cum clade ferentes.
Albitiusque Masus Ginusque Caponius ipsis
Praepositi castris praestantes nomine cives
Artibus et belli insignes, qui cuncta gubernent
255 Quique regant cunctis summa virtute verendi.
Compositis igitur rebus, tum rite paratis
Irrumpunt subito fines Pisisque sub ipsis
Castra locant et campos omnes milite complent.
Saepius ac veluti cum magnis imbribus Arnus
260 Planitiem totam ripas egressus inundat,
Cuncta trahit secum rapidus villasque domosque
Subvertit Pisasque infestis percutit undis:
Haud aliter furibunda ruit manus omnis et agros
Diripiunt ferro, villas atque oppida vertunt.
265 Nil obstat, donec Pisarum moenia cingant
Milite et infestis quatiant saepe ictibus urbem.
Utque mari ac terris aditus claudatur ubique
Horribilisque premat clausos penuria cives,

Cogat et invitos Tyrrheni iura leonis
270 Accipere et nostris submittere legibus urbem,
Ad mare supra Arnum vicinus ducitur urbi
Pons sudibus firmatus aquis trabibusque refixus;
Quove foret tutus, ripa munitur utraque
Castellis valido defensis milite semper.
275 Hincque fames et dura viris affertur egestas
Obsessis, hinc immundis animalibus audent
Consumptis herbis miseram deducere vitam
Quaeque extrema pati obdurata mente parati.
Dura sed ipsa fames ac imperiosa coegit
280 Cedere, quodque necesse foret tum flectere mentem,
Ostendit, populi cum passim languida cernant
Corpora per vicos et compita strata iacere
Et moribunda deos omnes hominesque precari.
Aemula tum demum Tyrrheni Pisa leonis
285 Urbsque potens et multis quondam ornata tropaeis
Imperio devicta tuo cessit, Florentia, magnum
Incrementum addens titulis urbique decorem,
Quae docuit, quantum fortunae fidere quisquam
Debeat et quantum humanae fiducia sortis
290 Vana sit instabili pervertens omnia motu.
Nam modo, qui soliti fuerant dare iura rogati
Et dictare suis populis legesque iubere,
Mox patriam dulcesque domos sanctosque penates
Linquere et invisis dominis parere coacti.
295 Quique suum servare decus patriamque tueri
Vix sperant humilique deos paulo ante precantur
Voce diuturno se posse resistere bello,
Hostibus imperium mox produxere subactis
Victoresque suis opibus vicere potentem
300 Armis et longo regnantem tempore Pisam.
Sicque suas fortuna vices variata gubernat
Instabilisque manens adversis prospera semper
Miscet nonnunquam praeponens infima summis.
Sic visum superis, nimium ne laeta superbos
305 Extollant, miseros nimium ne tristia laedant.
Ergo Fluentini tam magno munere laeti
Sacra deum per templa colunt totamque per urbem
Solemnes ducunt pompas sacrisque peractis
Annua vota iubent persolvi laeta quotannis.
310 Et licet in tenera Medices aetate maneret
Et tribus exactis implesset tempora lustris,
Non tamen in cunctis patriae tum defuit heros
Consiliisque puer patriam — mirabile dictu —
Iuvit et immensis opibus subvenit egenti.
315 Praestitit haec eadem, cum Ladislaus ad urbem
Infestis descendit equis peditumque phalanges

Duxit in exitium campis villisque ruinam.
Sed Florentini celebris tunc fama per urbem
Nominis atque domus Medicae tum gloria praestans
320 Perterrent regem coguntque remittere bellum
Et pacis firmum nobiscum iungere foedus.
Tum primum Cortona, iugis quae prominet altis,
In nostras didicit iurare et vivere leges.
Denique parta quies, quae plures durat in annos
325 Et multum nostris conducit civibus urbem
Quam magnis ditata bonis monstratque cavendum,
Otia ne quis amet sanctae disrumpere pacis.
Quid referam, quanto videas tunc surgere sumptu
Publica vel quali splendescere tecta nitore
330 Privatim cernas? Sanctorum templa deorum,
Quidve loquar, quanto videas constructa decore?
Nec referam, quae, Cosme, tuis tum sumptibus ornas
Quaeve locas fabricanda novis suffulta columnis,
Neu dicam, quantos tulerint portoria fructus,
335 Mercibus adductis Medices quae plurima Cosmus
Implet ab extremo sole occidente petitis.
Sed ducis Insubrium fallaci mente Philippi
Ambitio Italiam subito perducit ad arma.
Et quamvis, Martine, geras pia sacra sacerdos
340 Atque vicem Christi subeas, qui pace relicta
Discipulis mandat servare per omnia pacem,
Bella foves tamen et bellorum semina nutris,
Quae terris exculta tuis crevere per omnem
Italiam, ut fructus dederint collecta feraces.
345 Qui tamen, ut cuncti rentur, gustantur acerbi
Nunc tibi, cum Christi produceris ante tribunal,
Ante tribunal, ubi nullum discrimen habetur,
Personam quam quisque gerat, nil mitra nec ipsi
Imperii fasces causae prodesse valebunt,
350 Sed magis urgebunt conversi in pondera honores
Atque prement humeros magna sub mole iacentes.
Reddere cogeris commissae computa gentis,
Pascere quae vobis et custodire magister
Mandat et a vobis amissae damna reposcet.
355 Dicere namque pudet, quot tunc periisse sub armis
Constat et ardentis subiisse pericula belli.
Proelia quanta suis misceri Gallia campis
Transque Padum et citra vidit, quot bella per ipsos
Etruriae saltus quanta cum clade geruntur,
360 Oppida vertuntur, pueri innuptaeque puellae
(Indignum facinus) coram spectante parente
Indomitam rabiem victoris militis explent?
Quid memorem, quantas perpessa est Brixia clades,
Dum Venetum ac nostris fuerit circundata castris

365 Et demum vi captâ suis spoliataque rebus
Viderit ingentes cumulari mortis acervos?
Quid referam, quales bellorum incendia vires
Extulerint Italas omnes flagrantia terras?
Quae postquam, Martine, tuis errantia tectis
370 Videris intentus curas lenire, sed illa
Acrius insurgunt nimiumque incensa vagantur
Et rapidis pariter comburunt omnia flammis.
Attamen, instando penitus ne cuncta vorentur,
Tum demum, resoluta suis dum viribus errant
375 Atque deest pabulum, bellorum incendia cessant.
Sic tandem cessata quies firmataque parvo
Tempore perdurat, nimium dum bella parati
Exercere viri mentes ad proelia vertunt.
Namque Fluentini prudentia tanta senatus
380 Tum viguit Medicum monitis excita parentum
Consiliisque exculta piis, dum cuncta requirunt,
Quae possint nostris melius conducere rebus,
Ut Venetis sancto coniunctis foedere bellum,
Quod propriis fuerat gestandum viribus, ipse
385 Susciperet Venetus paribusque resisteret armis.
Sic hostes fracti, sic omnis concidit ardor
Pontificis, sic ipsa suum Florentia nomen
Servat, sic titulos Veneti auxere potentis
Imperii multis devictis urbibus, unde
390 Et decus et magnus provenit fructibus usus.
Hinc Florentinus, flatu dum cuncta secundo
Succedunt vultuque favet fortuna sereno,
Ardens imperii latos extendere fines
Ulciscique graves magno discrimine clades
395 Saepius iniunctas causasque auferre nocendi
Aggreditur bello vicinam subdere Lucam,
Primates quanquam gravibus convincere dictis
Conentur Medicesque feros mollire precando
Pergat et adductis doceat rationibus omnes:
400 „Bella mali quantum tulerint, ni iusta gerantur
Aut provisa satis; variis quam casibus instet
Mars dubius versetque vices fortuna priores.
Praeterea, quantum bellis defessa quietem
Publica res poscat quantumque pecunia desit
405 Aerario, magnis quod sit iam sumptibus haustum.
Ac odia advertant infidi saeva Philippi,
Qui belli causas nactus tempusque nocendi
In longum possit tantum producere bellum.
Quin etiam Venetos dubia iam mente timendos,
410 Ne forte invideant coeptis felicibus atque
Omnia pervertant taciti viresque ministrent
Hostibus et placidum simulata pace loquantur.

Dii, precor, avertant, quaecunque incommoda nostrae
Iam video patriae instare et — sim falsus haruspex —
415 Attamen in cunctis noscat me quisque paratum
Pro patria cunctosque graves perferre labores,
Quaeque mihi cara pro libertate manebunt
Gestanda, illa libens ac laetus semper obibo.
At, quibus arbitrium legum, quis summa potestas,
420 Decernant patriae pulchrum sive utile nostrae."
Haec Cosmus tanquam divini oracula Phoebi
Dictitat. Haec surdis descendunt auribus. Ingens
Exitium patriae, bellum decernitur. Ardent
Iam iam Lucenses vallo circundare muros.
425 Piccininus adest contra dux inclitus armis
Incautosque premens nostros funditque fugatque.
Sic res ipsa fidem primo certamine fecit
Verbis, quae tenues fuerant dilapsa per auras,
Et docuit, quantum humanis prudentia rebus
430 Conducat quantumque obsit non credere doctis
Consiliis nimiumque suae confidere menti.
Publica cura vetat, servandi sanctus honoris
Ardor agit cives nunquam desistere coeptis.
Instaurant acies peragendoque acrius instant
435 Bello ornantque novas conducto milite turmas.
Nunc ducis Insubrium calido defenditur astu
Luca per instructos simulata pace maniplos,
Nunc Venetum invidia, cupiunt dum cuncta subesse
Regna sibi Italiae caecaque cupidine ducti
440 Iura valere sinunt sanciti foederis atque
Francisco promissa minus stipendia solvunt;
Hoc solum ne Luca iugum devicta subiret;
Obliti nostris opibus superasse potentes
Urbes ac populos iussis parere coactos;
445 Brixia, Tervisium et vicinum montibus altis
Bergamum et obscuro nec nomine plurima capta
Oppida Bebriaco quondam subiecta Philippo.
Sic ingens nostrae profusis sumptibus urbi
Dedecus exoritur, spes irrita procidit omnis.
450 Libera conservat solitum sic Luca tenorem.
Ulla nec possunt proceres in parte iuvare
Consiliis, non ipse valet prodesse roganti
Auxilium patriae Cosmus, qui fungitur omni
Officio civis Venetumque orator ad urbem
455 Pro patria missus sancto de foedere multa
Disputat egregie longoque ex ordine narrat,
Quid Florentinus socialia iura secutus
Gesserit et quales servando foedere sumptus
Fuderit et quantum Veneti reverenda senatus
460 Creverit auctoritas et qualia bella secundis

Auspiciis gesta et quales quantaeque receptae
Urbes; nunc tantum servari foedera posci
Stareque promissis, ut sancti formula iuris
Postulat et Sforzae pactos persolvere nummos.
465 Attamen incassum dulci prolata sapore
Verba cadunt, responsa satis nec certa reportat.
Sed, quibus apparet simulatis texere fraudem
Velle dolis cupidasque in regnum tendere curas,
His arrecti animi stupefactaque corda virorum
470 Advertunt patriae mentem tunc protinus omnes
Atque opus esse vident placidae indulgere quieti
Obmissis bellis et demum parcere tantis
Impensis, ne forte ruat magna obruta mole
Fenoris instanti succumbens lassa periclo.
475 Certatim Medicem miris extollere quisquam
Laudibus in caelum curasque referre salubres
In patriam mentemque viri laudare fidemque.
Et, ni caeca feros bellandi insania cives
Egisset mentemque piis advertere dictis
480 Ac monitis Cosmi scirent, res publica tantis
Haud submersa malis solitum servaret honorem,
Non auri ingratis tantos fudisset acervos.
Haec referunt cives passim totamque per urbem
Vulgantur cunctique suae conferre saluti
485 Rentur, ut incertae Medices succurreret urbi
Consiliis patriaeque suum cumularet amorem.

LIBER II.

Sic Cosmi celebris volitat tunc fama per urbem,
Sic omnis pariter privata et publica ad unum
Conferri Medicem gaudent; fit magnus ubique
Consensus patriae, sed enim prudentia Cosmi
5 Cernitur inque dies maior maiorque redundat
Fama viri; res ipsa docet cunctique fatentur
Mortali quoddam versari in pectore maius
Et magis egregium, divino numine mentem
Afflari, nam vera procul sic cernere posse
10 Non hominem humana constructum labe, nec ipsum
Sufficere ingenium mortali mole gravatum.
Nec solum hac una cernas virtute decorum,
Quin aliis fulgere bonis virtutibus atque
Moribus egregiis ac omni laude refertum,
15 Insuper ornatum videas, quibus ipsa beatos
Plebs indocta viros narrat. Quis ditior unquam
Aut magis excellens opibus conspectus in urbe
Tyrrhena et clara notus iam voce per orbem?
Huic rerum natura suum largitur honorem.

20 Progeniem sed enim praestanti nomine claram,
Quae sit nulla in parte minor, talesque nepotes
Proferat in lucem, ut magnis maiora frequenter
Addant et summo nascentes culmine rerum
Altius extollant longeque decentius ornent.
25 His dum Tyrrhena felix versatur in urbe
Vocibus insignis Medices, dum publica tractat,
Omnibus acceptus cives dum diligit omnes,
Forte per Etruscas gressus direxerat urbes
Et Florentini conscenderat alta palati
30 Culmina prospectura domos et facta virorum
Magnipotens Fortuna, deus quam procreat olim,
Cum primum terras caelumque et sidera fecit
Humanumque genus, quam sacro nomine divam
Sivit honorari et votis persaepe vocari.
35 Quin et templa dedit, quae olim coluere vetustae
Gentes et falsae sectantes dogmata legis;
Sed vetat excelsi transcendere limina caeli
Aethereasque habitare domos, nec nomen habere
Passus neve locum excelsa inter tecta deorum.
40 Humanas tantum concessa potentia sortes
Arbitrio versare suo, sic infima summis
Miscere et toto penitus dominarier orbi.
Omnia subiecit sorti; Sapientia solum
Libera Fortunae contemnit iura potentis.
45 Illa igitur tales captans de culmine voces
Et celebrem Medicis famam tumque omnia cernens
Prospera felici iam iam succedere Cosmo
Haec secum volvens multa tum ferbuit ira:
„Illene Cosmus erit solus, qui numina temnat
50 Nostra impune diu? Nil en mea iura valebunt?
Quid mihi divinum nomen, si limina caeli
Scandere neve licet penitusque excludor ab alto,
Nec valeo humanis quicquam proscribere rebus
Et concessa mihi iam iamque potentia cessat?
55 Nonne foret melius nigras habitare tenebras
Seu furiale malum seu quicquid Tartara dirum
Horrent, quam vano iactari nomine divae,
Nec posse unius mortalis tangere nomen?
Arrisi quotiens oculis, heu, laeta serenis
60 Ingrato Medici? Quotiens mea munera laetum
Effecere virum et felici sorte beatum?
Num supplex unquam nostris pia contulit aris
Munera? Num verbis tantum veneratur honestis
Numina nostra semel nomenque in sacra vocavit?
65 Gratia num nobis meritis pro talibus ulla
Unquam habita est animi demonstrans signa benigni?
Quin verbis delusa feris et mente superba

Quaeque indigna nimis patior. Tum iurgia solum
Pro donis sacrisque et grata mente reporto.
70 Scilicet ardentis virtutis nomine fretus
Atque tuum iactans sanctum, Sapientia, nomen
Immunem nostro sperat se numine factum.
Libera sit quamvis nostris Sapientia fatis,
Attamen experiar, valeant quid numina nostra.
75 Et, mihi si desint vires, descendere ad ipsa
Tartara nec dubitem furiasque excire feroces.
Talibus esto armis tutus spernatque superbus
Tum Medices talesque iratos sentiat hostes."
Haec secum repetens subito descendit ad umbras
80 Tartareas nigrasque petit sine lumine sedes
Haud iter ignotum peragens, nam saepius unam
Excitat aut aliam horrenda de sede sororum.
Tum sic alloquitur Phthonem supplexque precatur:
„Phthone cara mihi et multum dilecta, quod unquam
85 Haud frustrata tuas vires numenque petivi.
Sed, tua si quando fuerit mihi prompta voluntas,
Nunc precor, expedias celeri mea vota tumultu
Et Florentinam subvertas ocius urbem
Pectoraque inflammes livore ardentia taetro
90 Cordaque pestifero irrites madefacta veneno
In Medicamque domum in Medicemque furentia Cosmum.
Quod ni saeva premant odiis succensa virorum
Pectora nunc Medicem, nil, heu, iam nostra valebunt
Iura, sed incassum iam iam conabimur ambae.
95 Nam, qui fortunae flexus variosque reflexus
Evitare potest praenoscens cuncta malorum
Semina et adversis rebus valet usque mederi,
Hic facile invidiam superat, tum conterit omnem
Livorem et prudens ferventia pectora mulcet.
100 Ergo age terribilisque manens da cuncta repleri
Invidia atque odiis fecundum concute pectus,
Obrutus ut Medices odiis et fluctibus atris
Invidiae pressusque gravi tum pondere ad ima
Concidat et demens Fortunae temnere discat
105 Numina, tum saevas abiectus mulceat iras
Invidiae virtusque suum, si possit, alumnum
Protegat et miserum verbis soletur amicis."
Rettulit haec contra Phthone
„Quid nostra precaris
Numina? Quid tantum verbis facunda benignis
110 Hortando suadere paras? En protinus adsum
Prompta tibi semper. Iubeas modo, diva, paratam
Invenies Phthonem; nobis namque omnia per te
Iura vigent solumque tuis pugnamus in armis."
Dixit et extemplo horrendis armata colubris

115 Sulphureasque faces quassans et pallida circum
Ora ciens taetrum late perfudit odorem.
Exin celsa petens gressus direxit ad urbem
Etruscam procerumque domos taeterrima serpit
Pestis et immundo quam primum cuncta veneno
120 Inficit et toti paulatim illabitur urbi.
Inque dies crescens incensas sulphure taedas
Perque domos passim perque atria magna virorum
Coniicit et demum miseranda incendia miscet
Incensaque furens tota bacchatur in urbe.
125 Inde petit victrix excelsa palatia circum
Mille dolos fundens et mille induta figuras
Incenditque viros, quorum tunc publica curae
Iura magistratus; neque enim labor arduus instat,
Nam facile incensas dictis exaggerat iras.
130 Hinc Cosmi laudes subito vertuntur in ipsa
Iurgia et opprobriis vulgo laceratur acerbis.
Hinc suspecta viri virtus, suspectus et ipse
Tunc Medices odiisque miser damnatus iniquis.
Nec, quamvis magna cernat se mole gravatum
135 Invidiae videatque odiis ardescere mentes,
Seu precibus tentat blandis mulcere furentes,
Frangere sive feros conatus viribus audet.
Integer est animus solum; tum conscia recti
Mens hominem sperare iubent et fidere divis.
140 Ergo vocatus adest subito dominosque potentes
Solus adit, caeco statim sed carcere pressus.
Hos inter motus, tanta et discrimina vitae
Dum Medices versatur inops, dum sancta precatur
Numina, Relligio ac Pietas sensere precantem
145 Tum Medicem miserumque vident indigna subire
Opprobria et subito carum miserantur alumnum.
Et prius haec secum humana de gente queruntur:
„An potis humanas tanta caligine mentes
Obvolvi, ut nulla iam iam ratione regantur?
150 Quid virtus probitasve suum num servat honorem?
Praemia quae iustis? Nunquid condigna geruntur?
Heu languent miseri. Solus laudatur iniquus,
Perfidus, immundus latro; tum magna reportat
Praemia et in summo semper versatur honore.
155 Non tamen idcirco desperat iustus et unquam
Desinat esse pius, nam summi rector Olympi
Nil temere incertave gerit ratione, sed aequus
Omnibus aequa dabit, non impunita relinquet
Flagitia et iustis tum praemia certa rependet.
160 Qualia nunc noster Medices discrimina vitae
Captus ob invidiam subit? Ecquis iustior alter
Aut magis excellens?“

Sed stat sententia castas
Fundere ad alta preces summi praetoria regis
Pro Cosmi patriaeque simul nostraque salute:
„O pater omnipotens, qui comples omnia solus
Complendoque simul divina mente gubernas.
Cuncta prius, quam facta forent essentque futura,
Ipse vides semper primaque ab origine visa
Perpetua ratione geris tumque ordine miro
Dispensas parentque tuo sic omnia verbo.
Nunc miserere pii Medicis, miserere parentis
Nunc patriae et nostri demum miserere, precamur.
Quisnam Tyrrhenis unquam fuit alter in oris,
Per quem nostra magis colerentur numina vel qui
Tum pietate gravis tum relligione severus
Conferretque magis patriae vel templa deorum
Pulchrius ornaret vel munera plura referret.
Cernis enim, quanta immeritus nunc mole prematur
Invidiae et, tua quam primum ni summa potestas
Succurrat misero, quibus, heu, luet ultima poenis.
E tantis igitur Medicem nunc eripe flammis
Et curam nobis natum patriaeque parentem
Restitue et votis aures nunc porrige nostris.“
Tum pater omnipotens oculis et mente serena
Suspicit orantes, placido et sic incipit ore:
„Cara mihi Pietas, dulcis super omnia semper
Relligio, vestrum merito laudamus amorem,
Nec fudisse preces casta nunc voce pigebit.
Ex animis omnem, iubeo, deponite curam.
Haud incerta salus vestro iam surgit alumno,
Nec solum poterit tantos evadere fluctus
Incolumis, nam plura mihi nunc pandere vobis
Fatorum secreta libet, quae figite vestris
Auribus et tacita servate haec gaudia mente.
Sed refert notum et clarum per saecula nomen
Tutus ab invidia et longe securus ab omni
Fortunae casu, quamvis nunc utraque contra
Nitatur viresque in eum nunc excitet omnes.
Altera victa cadet, bene vertens altera semper
Gaudebit mutasse vices, gaudebit et ipsum
Tollere in astra virum facietque in cuncta beatum.
Exilium modo, quod nunc fatis imminet, aequa
Mente tulisse queat, quanto vertetur honore
In laudemque viri, tum famam nominis amplam.
Nam patria exactis nonnullis mensibus orba
Et tantis privata bonis revocare parentem
Gestiet et reduci laetabitur usque recepto.
Illo tum demum felicem tempore Cosmum
Dicere namque licet, tum vos vidisse iuvabit

210 Publica gestantem vel numina nostra colentem.
Gaudia magna patri sumpta de prole futura
Conspicio; nam quaeque senis tum prompta subibit
Munera tumque sibi geminos dabit illa nepotes,
Qui Medicum clarum tollant ad sidera nomen.
215 O quantum nobis merito gaudere licebit
Talibus ex natis et tali munere divum.
Ergo agite et laetis animis his plaudite dictis."
Interea magnus Tyrrhenam incesserat urbem
Motus et ingenti nutabant cuncta tumultu.
220 Hos agitat Livor cives, hos dira Cupido
Regnandi stimulat, nonnullos improbus auri
Cogit Amor verbis Medicem incusare dolosis.
Nec satis ulla potest illis condigna videri
Poena viris: odiis adeo exarsere nefandis.
225 Quin alii totam strictis mucronibus urbem
Percurrunt mortemque reo tum saeva minantur
Vulnera et horribili consternunt cuncta tremore.
Publicus hinc agitur subito conventus et omnis
Area completur, quae magna palatia circum
230 Strata iacet populusque furens ruit undique totus,
Attonitique patres adsunt, qui iussa vocati
Expediunt tristes certamque instare ruinam
Tum patriae cernunt, ullis nec posse mederi
Consiliis sperant, circumstrepere horrida solum
235 Arma vident timidosque animos desuetaque corda
Ipse pavor pulsat, rumpunt suspiria vocem
Inceptam casumque dolent insontis amici,
Nec prodesse valent, propriae nam cura salutis
Quosque tacere docet nullisque resistere coeptis.
240 Concio tum demum populo celebrata frequenti
Omnibus iniecit pavidum per corda timorem,
Hinc octo concessa viris tunc summa potestas,
Qui rerum curam gererent promptique subirent
Iussa magistratus summi scelerumque ministri
245 Mandarentque reis poenas et vincula captis.
Bis tentata pii Medicis mors saeva nefandis
Suppliciis, bis sancta vetant tunc numina divum,
Namque sacerdotes cuncti cunctaeque puellae
Vestales votis exorant numina castis.
250 Nec viduae precibus cessant orare pudicis
Nec pia turba vacat lachrimis atroque dolore.
Sic patriae servata salus patriaeque parenti.
Nam versae mentes profugum dimittere Cosmum
Exilioque gravi pressum, non amplius ulla
255 Mentio facta necis, prospectum credit abunde
Quisque sibi, talem modo possint pellere civem
Et patrio privare solo; sic tempore lustri

Extorrem complere iubent urbemque Patavi
Describunt sedes, ubi maestam ducere vitam
260 Possit et iniusso liceat decedere nusquam.
Sed prius haec Medices magna ad subsellia ductus
Voce refert humili et dulci sic pectore fatur:
„Si notum, excelsi domini, certumque maneret
Publica nunc solum nostra fundata ruina
265 Otia posse diu durare et vivere longe,
Mors mihi grata foret, nunquam metuenda doloris
Poena meam posset vel magnis flectere mentem
Suppliciis, nam vestra libens nunc iussa facesso,
Si modo, quod cupio, possint afferre quietem
270 Civibus et patriae divinae gaudia pacis,
Neve Italas tantum valeam discedere terras
Atque Patavinas placidas mihi ponere sedes,
Sed longinqua maris possim nunc litora magni
Quaerere et extremos vivens habitare per Indos.
275 Nam mihi nulla potest res intoleranda videri,
Quam iubeant domini et quae nostrae conferat urbi.
Cuncta sed obtestor sanctorum numina divum
Nil magis in nostra mihi nunc doluisse ruina,
Quam timor immensus, ne quid res publica damni
280 Ferret ob ingentes, quos vidit quisque, tumultus.
Si quid enim in me collatum crudele fuisset,
Id breve nempe foret, nam semper conscia recti
Mens mihi venturae spondebat gaudia vitae.
Sed magis angebat patriae immedicabile vulnus,
285 Quod fore perpetuum rebar multisque dolendum.
Compositis postquam rebus nunc cuncta quiescunt,
Unius exilio nullo est subeunda dolore
Poena mihi, at laetis animis et mente quieta
Parendum dominisque meis patriaeque cavendum.
290 Ergo libens vestris laetusque obtempero iustis
Discedensque meos vobis patriaeque salutem
Commendo supplexque deum nunc deprecor ipsum,
Protegat hanc urbem, tum cives protegat omnes
Et mihi concedat patienter ferre dolorem
295 Amissae patriae et durae discrimina sortis."
Dixit, at ingenti dudum perculsa dolore
Corda virum tales Medicem dum fundere voces
Audirent, poterant oculis haud ultima siccis
Percipere orantis, neque enim, si forte liceret,
300 Tunc Medicem vellent iussis parere superbis.
Nam quoscunque gravis cives iam cura remordet
Insontem damnasse virum patriamque parentem
Privasse et plebi miserae amovisse patronum.
Et, quoniam suspectus erat furor improbus ingens
305 Quorundam, ne forte necis tam dira cupido

In Medicem ruere assumptis impelleret armis,
Ipse magistratus magna comitante caterva
Incolumem proprias Cosmum deducit ad aedes.
Illic multa suis constanti pectore fatus
310 Hortatur, quos ipse videt venisse paratos
Hortandi causa, quos cernit denique maestos,
Solatur natumque vocat dehinc nomine Petrum,
Solus et ad solum submotis omnibus inquit:
„O dilecte magis vita et mihi carior ipsa
315 Nate, meis solum afflictis spes unica rebus,
Immensum video nunc te cepisse dolorem.
Et merito, quoniam a nostris nil tale meremur
Civibus ingratis. Oculis sed conspicit aequis
Cuncta deus finemque dabit quandoque labori.
320 Eia age, tolle metum et tristi iam parce dolori
Et modo, quae carus genitor mihi rettulit, audi,
In somnis maestum solatus imagine clara
Et nitidis oculis, poterant qui vincere nigras
Carceris obscuri tenebras lucemque referre,
325 Attonitumque novo me sic splendore locutus:
‚Nate, mihi carus quondam, dum vita manebat,
Nunc magis acceptus summa pietate, parentes
Qua colis usque tuos, precibus nec desinis unquam
Exorare deum castis et dona referre,
330 Ut pater omnipotens delictis parcat iniquis
Aeternamque ferat requiem veramque salutem.
Sed iam purgatos laetus iam nosce parentes
Gaudentesque frui divino lumine semper.
Nunc ad te venio claro demissus Olympo,
335 Missus et a summo, qui vultu cuncta sereno
Laeta facit, pacemque suis tibi nuntio dictis.
Laetari ergo licet, fili dilecte, reperta
Pace dei curasque decet depellere tristes.
Ast opus est animis et forti pectore, nate,
340 Sors subeunda, licet nimis ac nimis aspera primum
Contingat; patria sed enim privabere dulci
Extorrisque novas cogeris quaerere sedes.
Sed dolor iste brevi mitescet tempore, namque
Haud semel hinc totum radiis sol circuit orbem,
345 Quin humeris patriae summoque reductus honore
Urbis Tyrrhenae felix tractabis habenas,
Securus rerum composta pace quiesces.
O quam felici succedent cuncta tenore,
Namque inter cives natos fulgere videbis
350 Ingenti virtute tuos patriamque tueri
Consiliis famaque piis extollere factis
Atque inter natos magnum mirabere Petrum,
Publica dum tractat solus, dum cuncta gubernat

Ingenio praestans, summa et pietate decorus.
355 O qualem laetus cernes hunc tollere prolem,
Quae patrias inter laudes et nomen avitum
Emicet et magno semper splendore nitescat.
Ergo age, ne somno, falsa vel imagine ludi
Credas, immo fidem dictis appone paternis,
360 Verus enim a vero missus tibi nuntius adsum.'
Haec ait et subito in tenues evanuit auras
Meque patris cari cupientem tangere dextram
Plurave quaerentem solum inter verba reliquit.
Nunc igitur forti subeamus pectore, quicquid
365 Fata mali tradunt, sperantes vera locutum
Esse patrem et iam certa fides his affore dictis
Cernitur atque utinam simili ratione sequantur
Caetera, ut in primis apparent omnia rebus
Tuta satis maiorque mihi fiducia semper
370 Crescit et, in melius vertas, precor, omnia, nate,
Et mecum pariter monitis laetare paternis."
Candida nec roseis fulgens Aurora quadrigis
Rettuleratque diem et nigras disiecerat umbras,
Cum primum populi magnus concursus ad aedes
375 Fit Medicas, alios visendi cura fatigat
Atque salutandi, nonnullos causa iuvandi
Consilio atque opibus movet, omnibus intima cordi
Cura manet certusque dolor, ne plura subinde
Civibus ac patriae, quam Cosmo, damna resultent.
380 Quippe dolor talem patriam decedere civem,
Qui bona multa bonis, qui plurima conferat urbi
Commoda, qui propriis praeponat publica rebus.
Profugium miseris tutum, proventus egenis
Certus et afflictis placidum solamen amicis.
385 Haec inter se certatim dum verba loquuntur,
Dum Medicem cupiunt abeuntem cernere Cosmum
Expectantque foris avidi, tum maximus heros
Progreditur iuvenum multis stipatus et armis
Et magno conspectus equo mediusque duorum,
390 Qui legum arbitrium summumque insigne gerebant
Octo virum, quorum praesens reverentia tutum
Tum Medicem posset patrios perducere fines.
Qualem saepe virum conspectum cernimus urbem
Intrantem nostram, populus cui plurimus exit
395 Obvius et proceres medium comitantur euntem.
Ille venit laetusque hinc atque hinc lumina flectit
Fronteque demissa tanto respondet honori:
Talem se Medices hilari cum fronte gerebat,
Talis erat, quamvis per opaca silentia noctis
400 Pergeret et profugus patriis excederet oris.
Ecce propinquabant portis, nec desinit ullus

Pone sequi, donec portas egressus abiret;
Namque vetant ultra portae procedere quemquam,
Sed taciti intra se hac abeuntem voce sequuntur:
405 „I felix nostrique memor lucemque reporta
Quamprimum rediens, nam caeca in nocte relinquis
Nunc sine te miseros nigraque vagamur in umbra."
Liquerat interea humentes nox frigida terras
Rettuleratque diem fulgens iam Lucifer almum
410 Famaque vicinos volitans exciverat omnes,
Dum Medices abiens Pistori intraverat agros.
Ecce catervatim descendunt montibus altis
Audaces fortesque viri et, fera corpora, agrestes,
Qui soliti in silvis et duris semper in armis
415 Versari et vitam magnis offerre periclis,
Turba ingens Cosmumque piis obnoxia factis
Increpat his Medicem dictis et vocibus audax:
„Quo ruis, o demens, iussisne paratus iniquis
Parere et patrias exul sic linquere sedes?
420 Quid dubitas nostris fretus nunc viribus urbem
Et regredi et Medicas armis ostendere vires
Civibus iniustis fortemque resumere mentem.
Namque vides, quot sumpta viris nunc arma saluti
Prompta tuae maneant, pro te quoscunque libenter
425 Aspicies cunctis vitam obiectare periclis,
Vulnera sive feram nequaquam horrescere mortem.
Sed deus adiutor coeptis nunc affore iustis
Cernitur; ecce deus reditus tibi monstrat apertum
Nunc iter et certe apparent tibi signa salutis.
430 Ergo facultatem redeundi amittere talem
Ne velis, at, facili, propera, dum cardine sistit;
Nam neglecta semel nunquam fortuna redibit."
At pius haec contra Medices:
„Dulces mihi semper
Et cari et fidi cunctis in rebus amici.
435 Sed nunc vestra fides longe mihi carior extat,
Dum fortuna meis gestis invisa secundis
Cogit in adversos miserum descendere casus.
Quod mihi nunc sumptis mortem spondetis in armis
Oppetere et videam dictis succedere facta,
440 Nil mihi nunc potuit magis hoc contingere gratum
Oblatumque libens grata nunc mente repono.
Fas et iura vetant armis nunc talibus uti
Et contra patriam vires extendere nostras.
Quemque decet iustum dominis parere libenter
445 Et patriae servare fidem pacemque tueri.
Ergo libens, licet immeritus, nunc iussus abire
Discedo patriaeque meam concedo salutem.
Vos igitur laeti vestras discedite sedes

Et meritis tantis adstrictum ducite Cosmum,
450 Nec, si fata velint, isthaec egisse pigebit."
Sic iter inceptum peragit nec porrigit aures
Talibus oblatis dictisque ferocibus unquam,
Quamvis incessu peditum iam copia crescat
Factaque sit iusti vel magni exercitus instar.
455 Inde Mutinenses superatis montibus agros
Ingreditur cernitque viros equitumque catervas
Obviam adesse sibi, Estensis quos pergere princeps
Iusserat et comiter fines deducere in omnes.
Sic paribus studiis Medices susceptus ubique
460 Tendit iter, donec proscriptas tangeret oras.
Illic, proh superi, quanta admiratio cunctos
Detinet et quanto qualique receptus honore.
Ingens quippe viri semper reverentia crescit,
Vincit et acceptam Cosmi praesentia famam.
465 Ecce Patavinus populus fluit undique totus
Visendi studio; quisquis vir magnus in urbe
Obvius egreditur, blando et sermone salutat.
Haud aliter magno Medicem dignatur honore
Ipse magistratus, quam si venisset ad urbem
470 Orator vel si titulos praeferret honestos
Nobilis aut princeps et digno nomine clarus.
Namque iubet proceres medium deducere Cosmum
Hortarique virum semper cunctisque diebus
Mane salutatum Medicas accedere ad aedes.
475 Quod faciunt laeti cives nullumque relinquunt
Officium intactum summi ac praestantis amoris.
Quin etiam Veneti mittunt, qui voce senatus
Hortentur Medicem et dictis solentur amicis
Spemque bonam moneant adversis sumere rebus
480 Et, tales postquam tulerit fortuna labores,
Gaudendum, Venetas quod sorte advenerit oras;
Namque deesse nihil speret sibi posse, nisi urbis
Tam pulchrae aspectus, qualem Florentia praestat.
Caetera, ad humanam quae spectant commoda vitam,
485 Si non aequa, tamen minus aspernanda futura.
Milia praeterea auri quinquaginta manere
Prompta sibi, si forte suis discrimina rebus
Obtigerint, valeant quae solum talibus armis
Expelli, sed plura quidem, si pluribus uti
490 Expediat Medici, Venetos offerre paratos.
His Medices dictis et tali munere laetus
Immensas Venetis grates compluribus egit
Verbis et, quoniam misero sibi nulla facultas
Posse referre datur, divum se cuncta precari
495 Numina, ut ipsa ferant Venetis, quae digna videntur,
Praemia, qui profugum tanto dignentur honore.

Sic igitur claro notus iam nomine Cosmus,
Talibus et Venetum donis ornatus honestis
Inter primates urbis iam primus habetur.
500 Sic Cisalpinas celebris volitare per oras
Incipit inque dies virtutis gloria maior
Emicat et nitido semper fulgore coruscat.
Sic quoque finitimis veneratur in urbibus atque
Talibus ac tantis effertur laudibus heros,
505 Ut Venetos patres reliquosque incenderit omnes
Fama viri, Venetam Medices si pergat ad urbem,
Tum patrio donare solo, tum nomine civis
Ornare et proprias in Cosmum condere leges.
Quae quamvis miris exoptet munera votis
510 Et cupiat tantis ornare insignibus heros,
Attamen iniussu populi decedere nunquam
Sedibus ascriptis sibi posse licere fatetur,
Nec modo, si liceat, sedes se dictitat ullas
Quaerere velle, nisi gratum sciat esse futurum
515 Florenti populo dominisque potentibus, unde
Omne sibi debet cedendi sive manendi
Arbitrium tradi, licet exul longius erret.
Nam patriis semper subiectum legibus esse
Quemque volunt leges, patrium si perdere nomen
520 Dulce nolit fugiatque rebellis nomen acerbum.
Ergo petita prius venia et concessa libenter
A populo, quascunque velit, discedere sedes.
Nec mora, concedit Venetas habitator ad aedes,
Laudis ubi egregiae et virtutis praemia sacrae
525 Invenit titulis referens insignia pulchris,
Dicere quae paribus verbis et carmine digno
Difficile est, sed nota manent memoranda per aevum
Plurima, quae Medicam ornabunt per saecula gentem.

LIBER III.

Dum Medices Venetis summa cum laude moratur
Sedibus atque inter cives dum magnus habetur
Dumque suum patribus virtus commendat alumnum,
Maesta gemit semper dulcem Florentia natum
5 Decessisse suum caroque orbata parente
Continuo in luctu et lachrimis versatur acerbis.
Saepe virum veluti crudeli morte peremptum
Casta dolet coniunx et maestis cuncta querelis
Tecta replet late, resonat vicinia planctu
10 Femineo, spargit flavos per colla capillos,
Corporis omne decus, vestitus negligit omnis
Vesteque lugubri amissum deplorat amorem.
Sic pariter nostra tum passim maeror in urbe

Cernitur et patria ingenti confecta dolore
15 Munera quaeque sinit, fuerint seu publica curis
Expediunda suis, cunctis neglecta diebus
Profluere atque situ confecta albescere turpi,
Seu privata manet patriae coniuncta saluti,
Ceu nihil ad patriam videas torpescere semper.
20 Non secus, ac gelidae cernas cum tempore brumae
Cuncta rigere gelu et glacie concreta iacere.
Namque oblita sui penitus rerumque suarum
Nil, nisi quod possit tantum lenire dolorem,
Cogitat, unde sibi multis discrimina rebus
25 Proveniunt, illinc rapidis lacerata rapinis,
Hinc aliis submersa malis, ceu navis, in altum
Quae subit adversam ventorum forte procellam,
Neve gubernator nec doctus in arte magister
Ullus adest illi, qui consulat atque gubernet,
30 Naufraga sed rabidis ventis iaculatur et undis
Et iactata diu portus non invenit ullos.
Civica sic patriam versat dissentio nostram
Ambitioque feris submersit fluctibus illam,
Neve quies ac ulla datur spes certa salutis,
35 Sed vidua assidue nullo tutore relicto
Diripitur ceditque malis et languida luget.
Publica iura vacant, cedit civile potentum
Viribus atque armis, tum pro ratione voluntas
Cuncta gerit, tum prompta subit metuenda libido.
40 Quin et sacra deum cunctis solemnia templis
Cessant et solito nusquam celebrantur honore.
Quae delubra novo fuerant ornata decore,
Iam deserta manent amotis undique sacris.
Sicque suum cernens tam parvo tempore nomen
45 Relligio, Etrusca quod magnum semper in urbe
Gesserat indictum nullis venerarier aris,
Haec secum volvit magno perculsa dolore:
„Cum pius Etrusca discederet exul ab urbe
Pulsus ob invidiam Medices, permagna putavi
50 Damna futuri mihi, nam multis saucia curis
Angebar primum iniungi discrimina nato
Tanta meo, cum nulla extaret causa malorum,
Praemia sed meritis potius sibi debita magnis.
Flumina praeterea nostris uberrima plantis,
55 Quae Medico semper pleno de fonte fluebant,
Diverti e campis alio conversa dolebam.
Non tamen, ut video, avulsas radicibus imis
Credideram plantas, ne ferrent amplius ullos,
Ut solite, fructus, semper quos esse feraces
60 Et memini et plenis colliegi cratibus olim,
Non etiam incultos impleri sentibus agros

Arvaque submotis Medicis arescere rivis.
Ergo necesse novas quam primum quaerere sedes
Et Florentina decedere protinus urbe,
65 Urbe mihi cunctis grata magis urbibus olim.
Sed promissa dei memori nunc mente revolvo,
Scilicet absentem revocari ad publica Cosmum
Munera transactis nonnullis mensibus, unde
Spes mihi certa manet; vereor sed plurima, quae nunc
70 Accusant magno Tyrrhenam crimine gentem,
Ne pater omnipotens gestis iratus iniquis
In longum promissa trahat populumque severus
Puniat ingratum, maneant cum praemia Cosmo
Digna satis, Veneta quae nunc ex urbe reportat,
75 Quae valeant mentis placidam sibi ferre quietem,
Unde prius iunctis orabo numina palmis
Magna dei, videat, ne quid mereantur iniqui,
Sed quid digna pii Medicis nunc facta requirant
Damnaque conspiciat, quae nobis magna resultant.
80 Talibus ergo deum dictis et corde precabor:
‚O deus, humano generi qui parcere semper
Gaudes, nec scelerum iratus reminisceris unquam,
Te precor, avertas oculos, licet impia multis
Extent facta malis in te commissa per urbem
85 Etruscam, ingratasque bonus ne respice mentes,
Sed moveat Medicis pietas cultusque deorum
Et mea te tangant sumptis incommoda damnis.
Advenit ecce dies nobis promissa; parentem
Restituas, oro, patriae, quae languida semper
90 Luget et absentem luctu deplorat acerbo,
Et mihi concedas divinae sortis honore
Posse frui solito, quem secum ferre necesse est,
Cum secum pariter Tyrrhena excesserit urbe.‘ “
Talia Relligio; tum summi rector Olympi
95 Rettulit haec contra:
„Tuus, o sanctissima virtus,
Me dolor et Medicis pietas nil tale merentis
Impellunt gratis ingratae ignoscere genti.
Vade, age, dic Medici, patriam mox praeparet ire,
Nam reditus concessa sibi nunc certa potestas.“
100 Inde vocat subito ex nymphis caelestibus unam,
Quae radiis semper casti resplendet amoris;
Talibus alloquitur dictis et talia mandat:
„Gratia grata mihi, quia gratum reddis honorem
Numinibus sanctis resque intercedis honestas,
105 Nec praestare boni quicquid mortalia possunt
Te sine corda virum. Florentinam ocius urbem
Advola et actutum mentes incende virorum,
Ut revocent ultro Medicem patriaeque parentem

Restituant meritique sibi reddantur honores."
110 Nec non et summi peragit mandata tonantis
Gratia, nam liquidas pennis dilapsa per auras
Advolat Etruscas aura velocior arces
Atque adeo procerum mentes et corda virorum
Irrepit et tanto in Medicem succendit amore,
115 Ut subito tentet revocare ad publica Cosmum
Iura magistratus, quamvis furibunda minetur
Factio et adversis obsistat viribus audax,
Impleat et totam magnis terroribus urbem.
Contio sed populi magno celebrata favore
120 Comprimit audaces dirosque per omnia cives
Et revocat Medicem solitoque in culmine rerum
Collocat et meritos reddi sibi mandat honores.
Relligio interea Vestalis virginis ora
Et vestes induta sacras victasque pudicas
125 Accelerans gressus Medicas contendit ad aedes
Et placida Medicem voce introgressa salutat:
„Salve, cura deum, et veram, quam porto, salutem
Accipe nec mirare tuas accedere solam
Hac cum veste domos ausam, nam iussa facesso
130 Magna dei patriasque libens tibi nuntio sedes
Restitui et magna in patriam cum laude vocari."
Dixit et extemplo pariter cum voce recessit.
At Medices tali stupefactus imagine primum
Virginis atque habitum et faciem admiratus honestam,
135 Mox secum repetens audita ex ordine verba
Haud dubiam praestare fidem de sedibus altis
Advenisse deam et divum mandata tulisse,
Sed, quibus e meritis mandentur talia, nescit.
Sic igitur firmum fixumque in mente reponit
140 Se, Florentinam quam primum advenerit urbem,
Viderit et patriam, sacras componere leges
Compositasque suos cives servare libenter,
Numina magna deum votis sacrisque peractis
Saepe vocaturum et grates quascunque laturum
145 Pluraque marmoreo structurum templa decore.
Postera fulgebat radiis Aurora coruscis,
Cum Venetas velox advenit nuntius oras,
Detulit et, quanto Medices revocatus honore
In patriam quantumque suis iam civibus adsit
150 Gratus et acceptus, redeat modo laetus ad urbem,
Quae Medico tantum ardens inflammatur amore,
Quantum casta virum uxor amat vel mater alumnum.
Nec mora; continuo Florentis iussa senatus
Expedit Etruscam Medices rediturus ad urbem.
155 Iamque Mugellanos fines ingressus et agros
Audiit ingentem populi adventare catervam

Obviam et egressos proceres iam protinus omnes.
Quod minime cernens privatos posse decere
Diversum per iter Tyrrhenam pergit ad urbem,
160 Quam tacitus paucis tantum comitantibus intrat,
Dirigit et primos ad magna palatia gressus,
Laetus adit dominos, dulci et sermone salutat
Et grates agit ingentes veniamque precatur.
Laetitia subito complentur corda virorum
165 Ingenti et populus nimium gestire videtur
Non aliter, quam saepe novus si nuntius affert
Seu victos hostes urbesque ex hoste receptas
Seu gratam cunctis post multa pericula pacem.
Neve magis reduci mater laetatur alumno,
170 Unicus ille licet viduae sit cura parentis,
Cum redit emensus variis labentia terris
Aequora et obscurae passus discrimina mortis,
Quam patria incolumi Cosmo est gavisa recepto,
Cui commendat opesque suas rerumque salutem.
175 Nec minus ille suae curas amplectitur urbis,
Quam pater ipse domumque suam natosque gubernat.
Publica cuncta brevi — tanta est prudentia Cosmi —
Consiliis composta suis servare tenorem
Incipiunt solitum priscamque resumere normam.
180 Seditione viri soliti turbare quietem
Antiquam patriae poenis plectuntur acerbis,
Praemia nec desunt iustis iam civibus ulla.
Sic igitur patrius pulchre componitur ordo
Iamque sacras leges cives venerantur et omnis
185 Plebs patribus subiecta manet legesque veretur.
Hinc per te, Medices, Laurentis templa Levitae
Cernuntur Fesulis magnis suffulta columnis
Auratoque nitent passim laquearia tecto.
Hinc delubra tibi, Marce, instaurata nitescunt
190 Porticibusque pii fratres spatiantur honestis.
Bibliotheca libros miro constructa decore,
Sive sacros quaeras, seu quos gentilis honorat,
Fratribus et reliquis large quoscunque ministrat.
Hinc Fesuli montis positum in radicibus alti
195 Cernitur erectum pulchra testudine templum
Tectaque cernuntur monacis habitanda pudicis
Splendida et obducti circum viridaria muri.
Denique signa pilis insertis aurea rubris
Omnibus in templis tota spectantur in urbe.
200 Hinc quoque regali fabricata palatia sumptu
Advena miratur, cives mirantur et omnes.
Nec minus interea patriae indulgere quieti
Cernitur et curas animo gestare salubres.
Namque foris bellum firmata pace resedit

205 Horribilisque domi subito discordia cessit,
Reddidit et cautos ad cuncta pericula cives.
Quod Piccininus suscepta clade fatetur,
Cum fugit amissis et fracto milite castris,
Franciscusque comes puppi decedere iussus
210 Valle Casentina, adversi dum principis arma
Sectatus nostra demens defecit ab urbe,
Testanturque feri insultus atque irrita bella
Alfonsi regis, multis dum milibus ardens
Obsidione gravi Plombini moenia cinxit
215 In moremque fugae raptim obsidione soluta
Navibus in patriam levibus remeare coactus.
Sed quo divinae referam praesagia mentis
Carmine et instantis praevisa pericula belli?
Quis deus ingenio poterit praestare favorem,
220 Vestrum opus, o Musae, vestra haec sit cura, precamur.
Nam nihil absque opibus vestris speramus honestum
Posse loqui; vestra haec iterum sit cura, precamur.
Mors ducis Insubrium cunctis pergrata Philippi
Horrida multorum mentes ad proelia vertit
225 Cordaque praecipue Venetorum fervida tinxit
Ambitione gravi, cuperent ut regna Philippi
Cedere cuncta sibi, nam motis undique bellis
Armorum strepitu videas horrescere totam
Italiam et subito consterni cuncta tremore.
230 Hinc rex Alfonsus violata pace tremendus
Imminet et bellum nobis cladesque minatur.
Illinc et Venetis vexatur Gallia castris,
Gallia defuncto quondam subiecta Philippo,
Sed duce Francisco correptis Insuber armis
235 It contra et cara pro libertate repugnat;
Inclita facta gerit, magno et discrimine clades
Iniungit Venetis; iustus nam iusta rependit
Iura deus iustosque fovet reprimitque superbos.
Mox tamen adiuncto sibi Sforza et foedere firmo
240 Insurgunt iterum Veneti cladesque vicissim
Insubribus referunt iamque urbis moenia cingunt
Milite et effosso circundant aggere muros.
Iamque fame impulsus positis iam cogitur armis
Insuber optatam precibus perquirere pacem,
245 Cum Veneti sese violato foedere iungunt
Insubribus pactosque negant persolvere nummos
Francisco, sed castra iubent dissolvere et ipsum
Finibus Insubrium quam primum abscedere mandant.
Tum demum Medices divina mente volutans,
250 Quid totiens firmata velint totiensque soluta
Foedera deposcant, Venetorum quippe timendas
Aestimat ambages et magna pericula cernit,

Consiliis ni forte bonis opibusve iuvetur
Franciscus Venetum monitus contemnere iussa,
255 Castra nec Insubrium obsessis deducere campis.
Sic monet, ut fervens obsessis acrius instet
Moenibus utque novis obsessam cladibus urbem
Terreat et nusquam sumptis discedat ab armis.
Quippe suas iam noscat opes sibi quasque paratas
260 Affore, nec magnis desperet sumptibus ullis
Sufficere et solum tanto se occurrere bello
Posse, sed adiutus vires animumque resumat.
Namque sibi sciat et Medici commune futurum
Id bellum, quod fata dabunt succedere felix,
265 Si modo persistat solitis in viribus audax.
Talibus impulsus dictis opibusque refectus
Sforziades tantis replet terroribus urbem
Obsessam, ut magnus magno clamore tumultus
Aestuet arreptisque ruat populariter armis
270 Insuber et Venetum crudeli vulnere caeso
Legato, portis murisque patentibus hostem
Intra tecta vocet summoque in culmine rerum
Constituat mandetque suam per saecula gentem
Mandatis parere suis et iussa vereri.
275 Annuit oblatis rerumque capessit habenas
Sforziades laetus populique favore secundo
Insubrium componit opes et cuncta gubernat.
At Venetis livor tum fervens cordibus ira
Aestuat ereptumque dolent e faucibus amplum
280 Imperium mortemque sui tum saeva retractant
Vulnera legati; stimulat vindicta furentes.
Hinc sibi coniungunt firmato foedere regem
Alfonsum nostramque fidem veteremque requirunt
Gentis amicitiam et socialia iura recensent.
285 Vertitur ad Venetas populi sententia partes
Antiquumque patres renovari foedus et arma
Haud iniusta capi Venetum pro parte fatentur
Et secura magis; delendum quippe tyranni
Nomen et in cunctis civilia iura tuenda.
290 Et licet eventus Martis communis utrisque,
Attamen ad Venetos felix spectare videtur,
Sint quibus et vires rerumque potentia maior
Sitque vel ad magnos immensa pecunia sumptus.
Praeterea spes magna monet protendere fines
295 Posse vel imperium late producere nostrum.
Namque Padum citra quicquid dicionis habetur
Insubrium, nostris Venetis cedentibus omne
Accedet titulis, regni spes, nulla potestas
Transque Padum Venetas servabunt omnia leges.
300 Sic erit in magnis aequata potentia rebus.

Contra nulla viget regni spes, nulla potestas
Vincendi nullusque favor, sed certa malorum
Congeries certusque dolor patriaeque ruina.
Hae passim tota voces vulgantur in urbe.
305 At Medices alto coniectans corde futura
Publica, quem solum tangebat cura salutis.
Conventu in magno populi cunctique senatus
Talibus incepit tumque his est vocibus usus:
„Res magna, o cives, et magni plena pericli
310 Postulat, ut, quisquis patrium sectatur honorem
Et libertatis servari nomen honestum
Affectat patriae postponens cuncta saluti,
Proferat in medium, si quid sibi forte cavendum
Apparet, subeatque libens quoscunque labores
315 Pro patria et vitam pro libertate recuset.
Nobiscum Veneti renovari foedera poscunt.
Pluribus illa quidem non aspernanda videntur,
Nec mirum, quoniam patriae conferre saluti
Rentur et ex illis augeri publica censent,
320 Nec mihi displiceant, illud modo facta sequantur.
Sed vereor, ne forte magis confecta ruinam
Attulerint patriae vel libera iura resolvant.
Nam regni titulis caecaque cupidine ductos
Fingere cuncta reor Venetos et quaerere solum,
325 Deserat ut bellum positis exterritus armis
Sforziades nullisque opibus nulloque favore
Suffultus tántis succumbens sumptibus erret.
Gallia tum demum dubiis dum partibus haeret
Dumque suos cernit vexari cladibus agros
330 Fessa iugum subitura suum, tum denique totis
Viribus Italiam conentur subdere totam.
Et faciant, ni bella ferox incepta sequatur
Sforziades opibus nostris suffultus et armis.
Nec belli sumptus Venetumque potentia quemquam
335 Terreat; haud quisquam belli desperet honestos
Eventus fore, nam felix victoria fortem
Sforziadem sequitur, iam victis impiger instat
Hostibus Insubriumque potens dominatur in urbe.
Quod si Tyrrheni inspiraverit aura leonis,
340 Nimirum plenis transvectus in aequora velis,
Quosque velit, liceat tutos acquirere portus.
Quare agite, o cives, animis insurgite laetis
Suspectosque nimis vobis nimiumque potentes
Nunc duce Francisco Venetum deprimite fastus
345 Et rerum eventus faustos sperate futuros."
Dixerat haec Medices; simul omnis curia laudat
Consilium Medicis; patriae nam cura salutis
Admonet instantes iterum perpendere casus,

Ergo petita negant renovari foedera neve
350 Cum Venetis aliqua sociari lege, sed omnes
Bellorum casus et tristia facta vereri
Insubriumque ducem, quoniam ascivisse volentes
Audierint, nullis arcendum viribus atque
Marte lacessendum nullo cum iure videri.
355 Hinc ira atque odiis et aperto Marte furentes
Ardescunt Veneti, quin improbus omnia vertit
Iura furor; Venetis subito nam finibus acti
Quique Fluentini; nunquam concessa potestas
Legatis nostris Venetas accedere ad oras.
360 Tum demum patribus Cosmo suadente receptus
Sforziades socius sancitaque foedera sacris
Legibus et nostros olim iunctura nepotes.
Quae simul et patriam recte servasse salutem
Quis neget et stabilem pariter fundasse quietem
365 Italiae et Venetum fastus domuisse potentes?
Nam licet horrendas bellorum Gallia clades
Senserit et turmas equitum peditumque catervas
Insultare suis Veneto sub nomine campis
Viderit et duras tulerint vastata ruinas,
370 Nec non et Calabrum Campano milite princeps
Praedatus Thuscos magna formidine saltus
Terrores nostrae magnos iniecerit urbi,
Non tamen instantis belli perculsa tumultu
Gallia succubuit, non ipsa Etruria tantis
375 Cladibus ingemuit, quin sumptis protinus armis
Illinc et Venetas acies excedere cogunt,
Hinc et Campanas nullo discrimine pellunt,
Quin et Francorum regem regemque Renatum
Foedere coniungunt. Superatis Alpibus ardens
380 Ipse Renatus adest multis cum milibus, unde
Et Venetis metus et tum regni cura tuendi
Iniicitur regi; tum pacis mentio facta
Et firmata inter Venetos Thuscumque senatum
Sforziademque ducem demum sancita per omnes
385 Italiae populos spatio servanda trilustri.
Bellorum postquam terror submotus et omnis
Armorum strepitus placidae cessere quieti,
Maior inest Medici firmandae cura quietis
Concordemque suis pariter coniicere mentem
390 Civibus et veteres rixas abolere nefandas
Et leges sancire sacras populumque severis
Moribus instruere et priscas inducere normas.
Non labor incassum, sumptus non ipsa fefellit
Cura virum, nam cuncta domi composta quierunt
395 Publica, tumve foris tantum reverenda senatus
Etruscas inter gentes populosque propinquos

Floruit auctoritas, ut Florida lilia quisque
Laudibus in caelum et verbis extolleret amplis
Optaretque simul coniungi foedere sacro.
400 At Medices amplum populi Florentis honorem
Tam celebrem cunctas Italas volitare per urbes
Prospiciens stabilemque domi per longa quietem
Tempora mansuram, nec non et dulcia cernens
Affore compositis externis otia bellis,
405 Talibus ad natum placidis est vocibus usus:
"Petre, meis semper cunctis spes unica rebus,
Iam narrasse tibi memini longo ordine cuncta,
Quae ventura mihi cari genitoris imago
Dixerat, obscurus clausum dum carcer haberet.
410 Vera quidem cernis transactis omnia rebus
Haud finem sortita malum, sed prospera semper
In melius conversa. Fidem meliora futura
Non aliter, quam dicta tibi praesagia praestant.
Passibus haud lentis tristem adventare senectam
415 Ipse vides secumque graves afferre dolores.
Onera cuncta libens humeris iam subtrahe nostris,
Nam breve, quod restat, spatium sibi poscit inanes
Deponi curas rebusque incumbere certis.
Et licet hoc teneris fuerit mihi semper ab annis
420 Ante oculos, iniuncta tamen discrimina multis
Avertere modis. Testor pia numina divum
Invitum traxisse moras dubiosque senectae
Expectasse dies, summi sed rector Olympi
Intus cuncta videns cordis secreta rimatur.
425 Haud equidem infitior magnos instare labores,
Singula dum tractas privata et publica solus.
Sed labor iste brevi minuetur tempore, namque
Talia iam video Laurentis signa nepotis,
Mox ut cuncta sibi tuto committere possis.
430 Hic tibi non tantum commissa negotia promptus
Expediet, sed cuncta procul praevisa subibit.
Accipe, quae nostram Laurenti a nomine sumpta
Haud temnenda quidem pascunt prognostica mentem.
Laurea serta vides doctos ornare poetas,
435 Cingitur hac etiam felix victoria fronde.
Ingenio praestans studiis fulgebit honestis
Victoremque suum cernet Florentia civem.
Ergo age, felici sic omine cuncta capesse
Et gravibus curis vacuum iam redde parentem."
440 Haec ait et, veluti prudens doctusque magister,
Qui maris undisoni fluctus scopulosque minaces
Ventorumque feros ictus diramque procellam
Saepius expertus tutos acquirere portus
Festinat miserae fugiens discrimina mortis,

445 Quos ubi securus cepit, non amplius ullis
Fluctibus aut rabidis tentat se credere ventis,
Haud aliter Medices curas tunc exuit omnes,
Quae possint placidam mentis turbare quietem.
Divinis tantum properat fundare carinas
450 Portubus aeternam sperans haurire salutem.
O quam felicem videas hunc degere vitam!
Scripturae intendit solvendo aenigmata sacrae
Cortice detecto dulces gustare medullas.
Quid referam, quanta videas pietate decorum
455 In patriam civesque suos carosque propinquos?
Quidve loquar, patiens casus ut pertulit omnes,
Quos fortuna modis saevos tulit invida multis?
Non nati mors dura sui carique nepotis,
Languida non etiam concretis membra podagris
460 Hunc cogere virum querulas emittere voces,
Sed rectum servare modum cumulataque magno
Dona referre deo precibusque orare pudicis.
Sumptibus, ah, quantis vel quali ornata decore
Templa deum fabricanda locat, quae multa per urbem
465 Conspicienda manent Medicumque insignia gestant.
His igitur studiis mentem dum pascit honestis
Et divina domi speculatur cuncta quietus,
Delphica ceu quondam dubiis oracula rebus
Consultura petit falsis gens tradita divis,
470 Non secus hunc adeunt cives, vicinus et omnis,
Ut videant et certa simul responsa reportent.
Ecce propinquabat morti vicina senectus;
Sacra petit, iunctis sumitque vatica palmis,
Mixta piis lachrimis demum verba ultima dixit.
475 Inque tuas commendo manus, pater optime, mentem:
Non ingrata patrem patriae Florentia dixit.

INDEX NOMINUM.

Numeri crassi (**1—3.**) ad libros pertinent. — D: Dedicatio (pag. 1.)

Abda, flumen **1**, 156.
Alfonsus de Aragonia, *v.* Aragonia, Alfonsus de.
Allexandrina urbs **1**, 163. **Allexandrinae** arces **1**, 152.
Alpes **1**, 153. **3**, 379.
Amerigus Corsinus, *v.* Corsinus, Amerigus.
Amor **2**, 222.
Aragonia, Alfonsus de, rex Neapolis **3**, 213, 230, 283.
Apollo (*v.* Phoebus) **1**, 7.
Armenicus princeps **1**, 153, 162, 165.
Arnus **1**, 259, 271.
Augutus dux **1**, 154, 164, 182.
Aurora **2**, 372. **3**, 146.
Bebriacus (*v.* Philippus dux Insubrium) **1**, 167, 192. — dux (*v.* Philippus dux Insubrium) **1**, 180. — Philippus **1**, 447. — tyrannus (*v.* Philippus dux Insubrium) **1**, 132. **Bebriaci** duces **1**, 30.
Bergamum **1**, 446.
Brixenses campi **1**, 155.
Brixia **1**, 363, 445.
Calabri **3**, 370.
Campanus miles **3**, 370. **Campanae** acies **3**, 377.
Caponius, Ginus **1**, 252.
Casentina vallis **3**, 210.
Castalii liquores **1**, 10.
Cecropia studia **1**, 89.
Cerberus **1**, 130.
Christus **1**, 340, 346.
Cisalpini coloni **1**, 168. — Galli **1**, 171. **Cisalpinae** orae **2**, 500.
Corsinus, Amerigus D, 1.
Cortona **1**, 322.
Cupido **2**, 220.
Cyllenius (Mercurius) **1**, 52.
Delphica oracula **3**, 468.
Erebus **1**, 205.
Eridanus **1**, 189.
Estensis princeps **2**, 457.
Etruria **3**, 374.
Etruscus senatus **1**, 185. **Etrusca** urbs **2**, 118. **3**, 45, 48, 85, 154. **Etruscae** arces **3**, 112. — gentes **3**, 396. — terrae **1**, 45. — urbes **2**, 28.
Fesulus mons **3**, 194. **Fesulae** columnae **3**, 187.
Florens populus **2**, 515. **3**, 400. — senatus **3**, 153.
Florentia **1**, 17, 27, 218, 230, 237, 286. 387. **2**, 483. **3**, 4, 437, 476.
Florentinus **1**, 391, 457. **Florentina** urbs **2**, 88. **3**, 64, 106, 140. **Florentinum** palatium **2**, 29. **Florentini** **1**, 318.
Florida lilia **3**, 397.
Fluentinus senatus **1**, 379. **Fluentini** **1**, 306. **3**, 358. alumni **1**, 91. **Fluentinae** res **1**, 232.
Fortuna **2**, 31, 44, 104.
Franci **3**, 378.
Franciscus Sforza, *v.* Sforza, Franciscus.
Galeactus **1**, 204, 233.
Galli **1**, 171.
Gallia **1**, 146, 193, 357. **3**, 232, 233, 328, 366, 374.
Gallicus furor **1**, 157.
Gratia **3**, 103, 111.
Herculei labores **1**, 65.
Insuber **3**, 234, 270. **Insubres** **1**, 337, 436. **3**, 223, 241, 246, 248, 255, 277, 297, 338, 352.
Italae terrae **2**, 271. urbes **3**, 401.
Italia **1**, 338, 344, 439. **3**, 229, 365, 385.
Iuppiter **1**, 39.
Ladislaus **1**, 315.
Laurens Levita **3**, 186.
Laurentum **3**, 432.
Levita, Laurens **3**, 186.
Livor **2**, 220.
Luca **1**, 396, 442, 4'0.
Lucenses **1**, 424.
Lucifer **2**, 409.
Marcus euangelista **3**, 189.
Mars **1**, 57, 138, 402. **3**, 290, 354, 355.
Martinus V., pontifex max. **1**, 339, 369
Masus, Albitius **1**, 252.
Medices, Cosmus D, 5, 6. **1**, 8, 9, 10, 17, 37, 63, 72, 120, 310, 332, 335, 398,

421, 453, 475, 480, 485. **2**, 1, 3, 4, 26, 46, 47, 49, 60, 78, 91, 93, 102, 130, 133, 143, 145, 160, 164, 171, 181, 208, 222, 246, 253, 261, 297, 300, 306, 379, 386, 392, 398, 411, 416, 417, 433, 449, 459, 464, 468, 472, 478, 490, 491, 497, 506, 508, **3**, 1, 49, 67, 73, 78, 86, 96, 98, 108, 114, 115, 121, 126, 133, 148, 154, 173, 177, 186, 249, 263, 305, 346, 347, 360, 388, 400, 447, — Iohannes **1**, 61. —, Laurens D, 1. **3**, 428. —, Petrus **2**, 312, 352. **3**, 406. **Medices** *(plur.)* **1**, 123. **2**, 204. **3**, 465. — parentes **1**, 380.
Medicus amor **3**, 151. — fons **3**, 55. **Medica** domus **1**, 319. **2**, 91. — gens **2**, 528. — strips, **1**, 61. **Medici** rivi **3**, 62. **Medicae** aedes **2**, 375, 474, **3**, 125. — laudes **1**, 38. — vires **2**, 421.
Mediolanum **1**, 225.
Mercurius, *v.* Cyllenius.
Mugellani fines et agri **3**, 155.
Musae **3**, 220.
Mutinenses agri **2**, 455.
Olympus **1**, 39. **2**, 156, 334. **3**, 94, 423.
Orcus **1**, 130.
Padus **1**, 187, 229, 358, **3**, 296, 299.
Parcae **1**, 203.
Patavinus populus **2**, 465. **Patavinae** sedes **2**, 272.
Patavium **2**, 258.
Philippus dux Insubrium (*v.* Bebriacus, — dux, — tyrannus) **1**, 337, 406, 447. *v*, 223, 226, 233.
Phoebea lampas **1**, 3.
Phoebus (*v.* Apollo) **1**, 421.
Phthone **2**, 83, 84, 108, 112.
Picciniuus, Nicolaus **1**, 425. **3**, 207.
Pietas **2**, 144, 186.
Pisa **1**, 232, 284, 300. **Pisae** **1**, 236, 257, 262, 265.
Pisanum bellum **1**, 238.
Pistorium **2**, 411.
Piacentia **1**, 189.
Piombinum **3**, 214.
Relligio **2**, 144, 187. **3**, 45, 94, 123.
Renatus rex **3**, 378, 380.
Sapientia **2**, 43, 71, 73.
Sforza, Franciscus (*v.* Sforziades) **1**, 441, 464. **3**, 209, 234, 239, 247, 254, 344.
Sforziades (*v.* Sforza, Franciscus) **3**, 267, 276, 326, 333, 337, 361, 384.
Sisypheum pondus **1**, 206.
Tartara **1**, 128. **2**, 56, 76.
Tartareae umbrae **2**, 80.
Tervisium **1**, 445.
Thuscus leo **1**, 170. — senatus **3**, 383. **Thusci** **1**, 129. — saltus **3**, 371. **Thuscae** turmae **1**, 146, 181. **Thusca** agmina **1**, 148.
Tyrrhenus leo **1**, 243, 269, 284. **3**, 339. **Tyrrhena** gens **3**, 70. — urbs **2**, 18, 25, 218, 346. **3**, 93, 159.
Tyrrhenum solum D, 6. **Tyrrhenae** orae **2**, 173.
Venetus **1**, 385. — senatus **1**, 459. **Veneta** urbs **2**, 506. **3**, 74. **Venetum** nomen **3**, 368. **Veneti** **1**, 30, 364, 383, 388, 409, 438, 454, 477, 490, 492, 495, 498. **3**, 225, 237, 240, 245, 251, 254, 270, 278, 287, 291, 297, 316, 324, 334, 344, 350, 356, 365, 381, 383. — fines **3**, 357. — patres **2**, 505. **Venetae** acies **3**, 376. — aedes **2**, 523. — leges **3**, 299. — partes **3**, 285. — sedes **3**, 1. orae **2**, 481. **3**, 147, 359. **Veneta** castra **3**, 232.
Venus **1**, 48.
Vestalis virgo **3**, 123.

CORRIGENDUM

Pag. 16. v. 240. pro *Concio* lege *Contio*

BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM

SAECULA XII—XIII. *RM*

P. magister, quondam Bele regis Hungarie notarius, Gesta Hungarorum, ed. *Juhász*. 1932. — — — — — — — — — 5.40

SAECULUM XIII.

Garlandia, Iohannes de, Integumenta fabularum Ovidii, ed. *Born*. (Excuduntur.)
De orthographia (incerti auctoris), ed. *Born*. (Apparebit.)

SAECULA XIII—XIV.

Dantes Alagherius, Epistolae, edd. *Nachod—Stern*. (Apparebunt.)

SAECULA XIV—XV.

Ravenna, Iohannes de, Epistolae, ed. *Smith*. (Apparebunt.)
Salutatus, Coluccius, De saeculo et religione, ed. *Ullman*. (Apparebit.)
Trevisanus Maior, Zacharias, Orationes et testamentum, edd. *Bertalot—Gothein*. (Apparebunt.)

SAECULUM XV.

Barbarus, Franciscus, Epistolae, ed. *Gothein*. (Apparebunt.)
— Orationes. Una cum orationibus ad eundem habitis, ed. *Gothein*. (Apparebunt.)
Barius, Nicolaus — **Kostolan**, Georgius Polycarpus de — **Hungarus**, Simon — **Zagabriensis**, Georgius Augustinus, Reliquiae, ed. *Juhász*, 1932. — — — — — — — — — — — 1.50
Brandolinus, Aurelius, De comparatione rei publicae et regni ad Laurentium Medicen, ed. *P. Angyal*. (Apparebit.)
— Dialogus de humanae vitae condicione et toleranda corporis aegritudine, ed. *Iványi*. (Apparebit.)
Callimachus Experiens, Attila. Accedunt opuscula Quintii Aemiliani Cimbriaci ad Attilam pertinentia, ed. *Kardos*. 1932. — — 1.70
Corsinus, Amerigus, Compendium in vitam Cosmi Medicis ad Laurentium Medicem, ed. *Juhász*. 1934. 2.—
Cortesius, Alexander, De laudibus bellicis Maithiae Corvini Hungariae regis, ed. *Fógel*. 1934. 2.—
Facius, Bartholomaeus, Invectivae in Laurentium Vallam, ed. *Valentini*. (Apparebunt.)
Ficinus, Marsilius, Epistolae, ed. *Kristeller*. (Apparebunt.)
Hungarus, Simon, v. Barius, Nicolaus.
Kostolan, Georgius Polycarpus de, v. Barius, Nicolaus.
Martius Narniensis, Galeottus, Carmina, ed. *Juhász*. 1932. — — 1.80
— De egregie, sapienter, iocose dictis ac factis regis Mathiae ad ducem Iohannem eius filium liber, ed. *Juhász*. (Excuditur.)
— De incognitis vulgo, edd. *Juhász—Kardos* (Apparebit.)
— Epistolae, ed. *Juhász*. 1930. — — — — — — — — 1.—
— Invectivae in Franciscum Philelphum, ed. *Juhász*. 1932. — — 2.50
Pannonius, Ianus, Opera, ed. *Huszti*. (Apparebunt.)

RM

Philelfus, Franciscus, Sphortias, edd. *Fógel—Juhász.* (Apparebit.)
Ransanus, Petrus, Epitoma rerum Hungararum, ed. *Juhász.* (Excuditur.)
Savonensis, Guilhelmus, Dialogus, an mortui sint lugendi an non, ed. *Maschek.* (Apparebit.)
Seneca, Thomas, Historia Bononiensis. Qualiter Galeatius Marescottus eques extraxit Hannibalem Bentevolum de carceribus et reliqua per utrunque gesta. Carmen epicum, ed. *Fógel.* 1932. 3.60
Strozza, Titus Vespasianus, v. Saecula XV—XVI.
Valagussa, Georgius, Epistolae, ed. *Juhász.* (Apparebunt.)
Vitez de Zredna, Iohannes, Epistolae — Orationes, ed. *Juhász.* (Apparebunt.)
Zagabriensis, Georgius Augustinus, v. Barius, Nicolaus.
Zovenzonius, Raphael, Carmina, edd. *Fógel—Juhász.* (Apparebunt.)

SAECULA XV—XVI.

Andronicus Tragurinus, Matthaeus, Epithalamium in nuptias Vladislai Pannoniarum ac Boemiae regis et Annae Candaliae reginae, ed. *Juhász.* 1933. — — — — — — — — — 1.—
Balbus, Hieronymus, Epigrammata, ed. *Iványi.* (Apparebunt.)
Celtis Protucius, Conradus, Ludus Dianae — Rhapsodia, ed. *Rupprich.* (Apparebunt.)
— Oratio in gymnasio in Ingelstadio publice recitata. Cum carminibus ad orationem pertinentibus, ed. *Rupprich.* 1932. 1.30
— Quattuor libri Amorum secundum quattuor latera Germaniae — Descriptio Germaniae generalis. Accedunt carmina aliorum ad libros Amorum pertinentia, ed. *Pindter.* (Excuduntur.)
Fontius, Bartholomaeus, Carmina, edd. *Fógel—Juhász.* 1932. — 2.—
— Epistolarum libri III., ed. *Juhász.* 1931. — — — — — — 4.50
Naldius (de Naldis) Florentinus, Naldus, De laudibus Bibliothecae libri IV. ad Mathiam Corvinum Pannoniae regem, edd. *Juhász—Mocarski.* (Apparebunt.)
— Elegiarum libri III. ad Laurentium Medicen, ed. *Juhász.* (Excuduntur.)
Piso, Iacobus, Opera, ed. *Juhász.* (Apparebunt.)
Strozza, Titus Vespasianus, Borsias (Fragmenta) — Bucolicon liber, edd. *Fógel—Juhász.* 1933. — — — — — — — 1.40
Verinus, Ugolinus, Carlias, edd. *Fógel—Juhász.* (Apparebit.)
— Epigrammatum libri VII. edd. *Fógel—Juhász.* (Apparebunt.)
— Panegyricon ad Ferdinandum regem et Isabellam reginam Hispaniarum de Saracenae Baetidos gloriosa expugnatione, edd. *Fógel—Juhász.* 1933. — — — — — — — — — 2.20
Warda, Petrus de, Epistolae, ed. *Iványi.* (Apparebunt.)

SAECULUM XVI.

Duditius, Andreas, Epistolae, edd. *Costil—Juhász.* (Apparebunt.)
— Opera varia, edd. *Costil—Juhász.* (Apparebunt.)
Merenda, Livius, Hercules — Seilas (Fragmenta). Ludi scenici, ed. *Tescari.* (Apparebunt.)
Olahus, Nicolaus, Carmina, edd. *Fógel—Juhász.* (Excuduntur.)
Sambucus, Iohannes, Epistolae, ed. *Gerstinger.* (Apparebunt.)
Stretzinger, Thomas, Oratio ad d. Leopoldum in gymnasio Viennensi habita, ed. *Maschek.* (Apparebit.)

SAECULA XVI—XVII.

Istvánffy, Nicolaus, Carmina, ed. *Holub.* (Apparebunt.)

Pretium huius voluminis RM 2.—